CUPRESSUS SEPULCHRALIS,

Quam

CONSERVANDO NOMINI ET FAMÆ,

EXCELLENTISSIMI, NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI,

DN. WENCESLAI DOROSCH,

Inclytæ Reipublicæ Thorunensis Consulis gravissimi,

Medicinæ Doctoris felicissimi,

Anno Domini 1704. *Januarii* 10.

Numero Virorum exemti,

Ejusd. 13. *in Templo B. V. MARIÆ solenniter contumulati,*

RECTOR ET PROFESBORES QVIDAM PUBLICI

posuerunt.

THORUNII,

EX OFFICINA NOBILISS. SENATUS ET GYMNASII.

†

Qværis, Viator,
An *Consularis* Dignitas & *Medica* Opera
congrue in eodem hospitari qveant VIRO?
Consulem enim in privatis, Medicum in publicis,
vix habere, qvod agat.
Immo ad publica tantopere adstringi priorem, ut raro privatis,
ad privata adeo obligari alterum, ut raro publicis,
vacare valeat.
Habeto;
congrue hospitari utramqve, modo etiam congrue exerceatur.
Ita est; simul in Curia, simul in Nosocomio, versari neqvit
ambidexter ejusmodi Consiliarius.
Suam potius Officinam qvælibet Facultas sibi vindicat.
Est tamen, ubi præmissis publicis ad privata progredi;
Est, ubi Civitatis salute procurata ad Civium qvoqve lectulos abire,
Est, ubi periclitante fortean Patriæ Patre Curialia prorsus differre licet.
Qvem nempe *Curia* ut *Consulem* dimittit, *Lares privati* ut *Æsculapium*,
recipiunt;
qviqve paulo antea *Patriæ*, *Patritiorum* non ita multo pòst,
desideratissimam gerere potest curam.
Et hoc ipsum, si qvispiam alius, in cognitissimis habebat B. DN. D. DOROSCH
Nemo eum, cum consultandum jam esset, à publicis sese subtrahere,
Nemo, cum opem citam flagitabant Clinici, officium eis suum denegare
vidit audivitve.
In simili Statione utraqve munia rite partitus est.
Qvoties Consilium poscebat Curia, tum Consulem,
Qvoties medicata opera ferenda erat, tum Medicum
se præstabat,
ibi prudentissimum, hic experientissimum.
Consuli nunqvam Medicus, Medico nunqvam Consul, impedimento fuit.
Qvid multa?
Curiæ Is semper primas, Hygiiæ secundas,
& tamen cuiqve suum, detulit;
Officii utriusqve officia commutans nunqvam,
nisi cum Respublica ipsa *Morbis*, res privata *Gravaminibus Politicis*,
premi se conqvereretur;
ob id etiam vel *Consularis Medicus*, vel *Medens Consul*,
dicendus olim.
Postqvam proinde compertum nunc habes, mi Viator,
In tali statu tam abunde utriqve satisfieri posse Officio,
ut per alterum alteri nihil decedat prorsus,
Et de ipsorum Muniorum Conjunctione,
& de Viris juncta Munia divisim exercentibus,
melius sentire ne dubites amplius.

Alibi saniorum, alibi infirmorum, dubiis rebus succurrere,
Compatibilia sunt, non Repugnantia.

* * *

Inter exqvisitos Chiragræ dolores
deproperab.

M. GEORGIUS WENDIUS.

ÆDes privatæ, Templi strepuere Cathedræ
Anni principio, dum pia vota damus.
Vota damus merito pia dum funestior esse
Incipit hic annus, fert mala fama mala.
Nuntius en primus claudit vix ora, secundus
In portis jam stat, tertius inde venit.
Qvæ bona fert primus, qværas, qvæ fausta secundus
Nuntiet, aut post hos tertius ore ferat.
Contractis humeris meditari prælia gentes,
Fundere prædicunt & Babylona minas.
Nolunt post pugnas bellorum qværere finem,
Qvæ nos percupimus frangere tela, parant.
Panno capit ferrum, ferrum capit orbus Iberus,
Pro grege Panno capit, pro Capite iste capit.
Deficiat pax alma licet, sævissima bella
Latrent, sulphureo flammet & igne fretum.
Casibus exemtus cunctis torvisqve procellis
Est Consul Noster, nec metuenda timet.
At mea si qvicqvam pro Consule vota valerent,
Vivere eum vellem sedibus hisce soli.
Interioris opes naturæ noverat Ille,
Et succo morbos pellere & arte feros.
Qvod novit Batavus, qvod felix arte Britannus
Perdidicit, tenuit mente capace sua.
Nolo mihi memores Rolfinckos, nolo Patinos,
Sedulus istorum, credito, Censor erat.
Una dies est alterius qvam sæpe Magister,
Censere & poterit Virqve docere Virum.
Dat pretium tandem Virtus, Patavina coronat
Hunc Schola, Doctoris nomine & ornat eum.
Altius ire Virum voluit qvoqve nostra Thoruna,
Fasces & titulum Consulis addit ei.
Utqve adamas decorat digitum croceumqve metallum,
Sic fasces decorant nomina clara Viri.
Splendidior multo est Noster cum tecta domusqve
Linqvit subductus, sidera celsa subit.
Una dies melior Cœlo est qvam secula mille
In terris, qveis sunt prælia, turbo, neces.

Hic

Hic ver perpetuum ſine rugis firma juventa,
Hic Medici qværit nullus amicus opem.
Vivas, clare Senex, Cœlo, fractæqve ſenectæ
Exuvias tumulo conde reconde tuo.
Tempus erit qvo te redeuntem pulvere terræ
Cernemus, celerem qvi modo ſegnis eras.
Atqve tuos celeres læti mirabimur artus,
Qvos laſſos lecto lentor habebat iners.
In Natis tua ſi nunqvam revireſcet imago,
At vireat probitas, fama, fidesqve tua.
Primores populi vos optima Numina ſervent,
Subducant facibus inſidiisqve mali.
In mare te referant fluctus, Reſpublica, nulli,
Et procul à muris ſæva pericla ſient.
Evigiles, portus iterum, rogo, qvære relictos
Ocyus, atqve iterum littora tuta cape.

Viro Excellentiſſimo, Fautori ſuo eximio, conſecravit,

JOHANNES REZIK,
P. P. & Viſitator.

QVi multùm fidunt Medicis, herbæqve potenti,
Nil arbitrantur Medico præſente nocere.
Sed Medici figant exſangvi in corpore vultum:
Et diſcent, non unâ ſe ratione necari.
Legerat Extinctus medicæ ſecreta Minervæ.
Hippocratis, nec non Galeni noverat artes.
Hinc Illi ſanare fuit propriumqve mederi.
Seu caput afflictum, ſeu corpus torpor habebat.
Seu traxit putreſcentes hydropicus undas;
Aſpexit miſeros & prompta ſolatia dextræ
Exhibuit, fera tot morborum examina pellens,
Atqve frui faciens multos vitâ meliore.
Sæpiùs arte ſuâ protraxit tempora mortis,
Sanavitqve ſagax magnis rationibus ægros.
Attamen adverſus vim mortis ferre ſibi ipſi
Neutiqvam opem potuit. Sed poſtqvam pectora torpor
Lethalis preſſit, morti occubuit, docuitqve,
Non eſſe in Medico ſemper relevetur ut æger.
Hinc qvotqvot miſeri vitâ torqventur ab ipſa,
Ritè mori diſcant Medici hoc à corpore Magni.

Lugens fecit

M. MARTINUS BERTLEFFIUS,
Prof. Publ. & Viſit.

(o)